

des et pignora ei pro suo [a] dedere arbitrio; qui anno sequenti, plus præcio quam jure citatus [b] Castrum Faventinorum, quod erat super Cosnam, penitus destrui [c] fecit, et mille libras Liviensibus dari præcepit. Quæ quidem omnia Faventini, dolentes ad mortem, timore tamen obsidum et pignorum, mandaverunt effectui.

*De guerra reiterata / et praelio apud Fractariam / et de destructione Castri Latini
et de pace inter nos et ipsos reformata, datis mille libris episcopo Liviensi.*

CAP. CXX.

Anno ab incarnatione Domini mcccii, cum episcopus Liviensis fecisset Faventinos excommunicari, pro eo quod castrum Ecclesiae destruxerant et in nullo eis satisfecerant, Faventini, magno permoti dolore, guerram ^{tantum} [d] cum Liviensibus [d] inceperunt ac Ravennatibus. Verum cum multoties [e] equitassent super Ravennates, fossatum magnum in partibus Cortinæ explanaverunt pluries, capientes rusticos multos cum animalibus non paucis. Una sabbatorum cum audissent [f] Ravennates Faventinos ad fossatum Sancti Stephani venisse, cum trecentis militibus ieiunctiis quos habebant, rusticis succurrerunt, non tamen ausi sunt extra foveas ad Faventinos [g] exire. Die vero quadam, cum Faventini a mane usque sextam [h] apud Forolivium arbores incidissent et segetes, jam labore et destu, fame fatigati et siti, domum vellent reverti, viderunt partem Liviensem super fossatum Fractariorum, quos contra voluntatem Guidonis Tantidenarii [i], Faventinorum potestatis, quidam aggressi sunt inconsulte; cum quibus durissime decertantes, et quam plurimis hinc inde cadentibus, illos usque ad fluvium vi reduxerunt [j] maxima. Quibus reliqui [k], locorum difficultate et vii angustiis impediti, succurrere non valuerunt; nam Livienses, foveas profundas facientes in medio stratae [l], tramitem reliquerant arctissimum [m]. Passi sunt autem die illa Faventini culpa stultorum, in viris, equis, armis atque vexillis deterius, quam intulerint hostibus. Ab illa ergo die in antea magis solito deservient in hostes; nam infra mensem Castrum Latini [n] destruxerunt, multaque alia loca combusserunt, prædam maximam virorum ac animalium inde ducentes [o]. Demum anno sequenti mccciii, facta est pax et concordia inter cives et hostes, datis mille libris episcopo Liviensi, destructionem Castri Leonis firmam et ratam habenti.

[a] obsides et pignora ei pro suo, C. M.; obsides pro suo, C. V. — [b] plus præcio, quam jure citatus. Sic Codices. Cl. Mitt., pro citatus, legendum esse ait: civitatis. — [c] penitus destrui, C. M.; funditus destrui, C. V. — [d] cum Liviensibus. Sic legit Cl. Mitt. Nam C. M. habet: tm, quam ego verterem tum, et adderem, facere inceperunt, ut supra addimus in simili casu, movere. C. V. habet tamen. — [e] cum multoties. C. M. habet, multociens. — [f] audissent. In Codd., audissent. — [g] ad Faventinos. Sic lego cum C. V. — [h] a mane usque sextam, C. M.; a mane usque ad sextam, C. V. — [i] Guidonis Tantidenarii. Sic Codd. — [j] vi reduxerunt, C. M.; vi deduxerunt, C. V. — [k] Quibus reliqui, C. M.; quorum reliqui, C. V. — [l] in medio stratae. In C. M., in medio stractae. — [m] reliquerant arctissimum. Sic lego. Codd. M. et V. habent, relinquunt; et C. V., pro arctissimum, habet, altissimum. — [n] Castrum Latini, C. V.; Castri Latini, C. M. — [o] inde ducentes, Codd.